Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3259
Quelle:
Copyright:

tur. De Libello anni 1535. dixi ad N. VI. Conferri item poteſt *Joach. Camerarii Hiſt. Narratio de Eccleſ. Fratr. in Boh. et Morav.* p. 99.

XIII. *fol.* 80. *Conſilium Facultatis Theologicae Pragenſis anni 1413. Contra Joh. Huſſum*, uti N. IV. Sed hic praecedit hiſtorica *Narratio*, uti apud *Cochlaeum*, quae incipit: *Cæterum mortuo apud Poſonium Vngariæ urbem* &c. ut adeo rem ex *Cochl. edit.* anni 1522. deſcriptam arbitrer.

XIV. *fol.* 86. Aliud Exemplar *Summae Picardicarum rerum* ſupra N. XII.

XV. *fol.* 94. *Determinatio ſacri Concilij* (Baſil.) *ſuper modo communionis in ſeſſione triceſima facta.* i. e. X. *Kal. Jan.* 1437. Extat *Labbei* T. XVII. *col.* 370. et apud *Cochl. Hiſt. Huſſit.* L. VIII. p. 309. unde una cum ſequentibus *Autoris* animadverſionibus huc transſcripta eſt.

XVI. *fol.* 100. *Viginti quatuor articuli Concilij Conſtantien. pro reducendis Bobemis ad unitatem Eccleſiae.* Extant apud *Labbeum* T. XVI. *col.* 742. *Harduinum* T. VIII. *col.* 896. *Herm. von der Hardt* T. IV. P. 12. p. 1514. et *Leibnitium ſupracit.* p. 133. Primi tres expreſſe *Codicem* noſtrum citant, nulla nota chronologica inſignitum, et tamen *Harduinus* cum *Labbeo* Articulos hos Seſſioni XLIV. ſeu 19. Apr. 1418. adtribuit, Hardtius vero ad Seſs. XLII. i. e. 28. Dec. 1417. retrahit, cui ſuffragatur *Leibnitius* titulo ſuo annum 1417. adjiciens. Denique et *Cochlaeus Hiſt. Huſſit.* L. IV. p. 165. eos ad hunc annum recenſet.

XVII. *fol.* 106. *Decretum Synodi Baſilienſis ſuper modo Communionis Seſſione triceſina.* Ut ſupra N. XV. ſed hic ſine *Cochlaei* animadverſionibus.

XVIII. *fol.* 110. *Reſponſa Legatorum Concilij ad dubia Bobemorum.* Ut ſupra N. III. Sed abeſt deſcriptio Sigillorum.

XIX. *fol.* 118. *Numerus parochiarum regni Bobemię, ubi uix media pars paſtores habent, inde tantus errantium ouium et ſine paſtore uiuentium numerus.* Sequitur dein Indiculus Parochiarum Dioeceſ. *Pragenae* ſecundum *Archidiaconatus*, ex quibus *Pragenſi* 312. *Becbinenſi* 228. *Pylznenſi* 205. *Boleſlauienſi* 159. *Gurmicenſi* (Curimenſi) 273. *Grecenſi* 373. *Horſouienſi* 48. *Zatezenſi* 181. *Bilinenſi* 70. *Lytbomericenſi* 80. Eccleſiae tribuuntur, quae collectae 1930. Eccleſias efficiunt. Adjiciuntur his *Clauſtra 64. præter mendicantium. Ciuitates munitae et oppida* 700. *Caſtra* 130. Confer, ſi lubet, Indiculum hunc, quem a. 1534. ſcriptum *infra* videbimus, cum eo, quem *Bob. Balbinus Miſcell. Dec.* I. L. 5. p. 9. ex *Cod.* anni 1384. exhibet, et conjicies, quantum ab eo tempore Sacrorum cura prolapſa fuerit.

XX. *fol.* 122. *Deliberacio Epiſcopi Viennen.* (Joh. Fabri) *Adminiſtratoris* (Archiepiſcopatus Prag. Erneſti de Schleinitz) *Regii Concionatoris* (Frid. Nauſeae) *ac*